



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Thesavrvs|| Locorvm|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Cap. XXXII. De Anticipatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

CAP. XXXI. De Antichresi.

Axioma I.

Quoties fructuum certa est perceptio, toties debent in Antichresi usuris esse proportionati *l. 1. §. 1. ff. de pign.* quia alioquin fraus fieret legibus certum modum usuris imponentibus. Ita ergo si creditor ædes, quas sub pacto Antichreseos habet, alteri locet, tenetur omnes fructus, qui legitimus usurarum modum excedunt, restituere ac in sortem imputare *l. 14. C. de usur. ibique Gothofr. lit. T.*

Limita: ut tamen modicus excessus non attendatur. *Hahn. ad Wesenb. Tit. de pign. n. 5.*

II.

Quoties fructuum incerta est perceptio, toties excedere poterunt usuras ordinarias *l. 17. C. de usur.* Quia sic etiam contingere poterit, ut tales fructus ne quidem æquent usuras legitimas: Hinc iustum est, ut ejus sit commodum, cujus est periculum *l. 10. ff. de R. j.*

Limita: nisi excessus planè sit immodicus, sic enim ad æqualitatem est reducendus. *Carpz. P. 2. Consl. 30. def. 41.*

CAP. XXXII.

De Anticipatione.

Anticipatio debita pecuniæ est concessa. Non tamen potest susceptor publicus à debitoribus fiscalibus aliquid interusurii nomine accipere vel exigere propter promptam vel anticipatam solutionem, nisi pro ratione veri interesse. *Perez. C. de auri publ. persecut. n. 5.*

CAP. XXXIII.

De Antiquis, Antiquitate.

Axioma I.

Antiqua non facile mutanda. *l. 20. de option. Legat.* Hinc antiquæ pensiones prædiorum principis ab officialibus augeri non possunt. *Brunnem. ad l. 1. C. de pasc. publ. n. 1.*

Limita: nisi ob causas noviter emergentes. Itaque solutio annonæ, si tractu temporis efficiatur iniqua, per Judicem ad æquitatem redigenda *l. 2. de Cens. Brunneiman. ad l. 10. C. de fund. patrim.*

II.

Antiquum factum dicitur 40. annorum *Matth. de afflicto. super feud. cap. cum autem. de controvers. investit. n. 22.*

CAP. XXXIV.

De Apocha.

Axioma I.

Apocha, quæ non probat contra tertium, probat tamen contra ipsum scribentem. Apocha

tamen officialis publici probat contra præponentem & fiscum, eique præjudicat, quatenus est solvendo. *Brunnem. in l. 2. C. de conven. fisci debitor. l. 4. C. de discussor.*

II.

Cum fiscus non habeat fidem de pretio, Apochâ publicâ solenniter confectâ & datâ supponitur realis solutio & rationum discussio. Itaque contra eam non potest opponi exceptio non numeratæ pecuniæ. Habet enim exactor paratam exigendi facultatem, ut ita de non receptis confellum esse non credendus sit. *Perez. C. de Apoch. publ. n. 4. 10. 12.*

III.

Hodiè in Apochis debitoris, exactoris nomen, annus, mensis & dies, nec non causa debendi requiritur. *Brunnem. ad l. 1. C. de apoch. publ. §. 4.*

De amissione Apochæ vid. *Amisio.*

CAP. XXXV.

De Appellatione. Conf. Rubr. Sententia.

Axioma I.

Ubiqve defensio adhuc est permilla, ibi non deneganda est appellatio in criminalibus. Quia appellatio nihil aliud est quam defensio sui juris; hæc autem nemini in civilibus deneganda, multo minus ex humanitatis ratione in criminalibus *l. 6. ff. de appellat.* præmissis cum in his majus versetur periculum. *Berlich. P. 3. decis. 231.* Admittenda igitur appellatio non solum ipsius damnati, sed etiam alius cujuscunque pro eo, qui perire festinat *d. l. 6.* Quando factum dubium est aut sententia contra non citatum nec auditum lata, vel alia nullitas commissâ *Mev. P. 2. dec. 272. n. 9.* vid. *Brunnem. Process. Inquisit. cap. ult. n. pen.*

II.

Quoties non admitti dicitur appellatio ob id, quod causa moram non ferat, toties hoc tantum intelligendum de effectu suspensivo. Quia quoad effectum devolutivum cessat ratio, quæ est ex periculo moræ, cessabit ergo quoque in illa solum fundata appellationis exclusio. arg. *l. adigere. 6. §. 2. ff. de Jure Patron. E. g.* quando appellare non licet in causis alimentorum, refectiois adificiorum, in executione, in sententia à possessorio summariissimo. Item in causa reparationis aggerum in *Reichsachen. Mev. P. 3. decis. 163. & collectarum. Mev. P. 4. dec. 35. n. 6.*

III.

Quodcunque permillum est partibus in prima instantia post litem contestatam, id illis quoque permillum est in instantia appellationis. Quia appellatio reducit causam ad tempus litis contestatæ, nec judex de alio cognoscere potest, quam quod per appellationem ad eum fuit devolutum. Exceptiones igitur dilatorie in instantia appellationis opponi nequeunt *l. 13. c. de Procur. nisi de novo emergant, vel in notitiam demum veniant,*